- dio plurimi confert. Quoties autem alii ora repetitis, & mentis indagine illa que in mysterio condita sunt, elicitis & in lucem profertis: uobis conuenit quod in proverbiis dicit: Aqua profunda uerba ex ore uiri, & torres fundans fons scientie. Quoties uero audacter & intrepide in uita inepti mini, columnae estis firmas fulcieres ueritate. Ob hoc Paulus apostolus Petrum, Iacobum & Ioannem vocauit columnas, quarum stabilimentum a domino est, qd in psalmo de ecclesia loquens ait: Ego confirmavi columnas eius. Adhuc euā montes estis, quos nulla uerorum uis concutit, nullus procellularium turbam mouet: de ipsis in psalmo dicit: Montes in circuitu eius: hoc est, eccliesia: & dominus in circuitu populi sui. Quid ultra dicatur? Vos plenaria ille nubes estis de quibus Ecclesiastes ait: Si repletæ fuerint nubes, imbræ super terram effundent. Sapientia enim replete diuitia, non celstis pœnitentiale doctrinæ. Vos estis cœlum late resonantes tru fidelium eloquio: de quo in psalmo prædictum fuit. Intonuit de cœlo dñs. Et in alto psalmus: Annunciatio ceri iustitia eius. Et rursum in alto: Cœli enarrant gloriæ dei. Vos denique non solum montes uel nubes uel cœli, sed qd omnium nobilissima creatura est, angelii dei estis, non naturæ cœmentis sed officiis dignitate. Nuncius dei angelus est, iuri dei sancti pœniteniores sunt. Vnde sicur de Ioanne baptista Malachia dixit deus: Ecce ego mitto angelum meum, qd parabit uia ante faciem meam: ita & uobis dicit: Parate uiam dñi. In Apocalypsi etiam eccliesia prefecit quos nos episcopos dicimus, angelii appellantur. Ille autem uerius angelus est, qui sua doctrina edificat eccliam, qd qui eccliam tantum preses est, & docendi laborem otio supatus fugit. Plaudant igitur sibi, qui aurum argenteumq; lucrantur, qui magnum pecuniarum quaestum faciunt, qui urbes expugnant, & regna sua subdunt imperio. Vos animas domino lucranti, quibus nihil est pœnitus, nihil in natura humana excellentius: uos ergo melius, qui muros Hierusalem edificatis, qui ad coelestem patriam exiles reuocatis, ut in illis, immo & super illos regnetis. Vos enim constitueret dominus super familiam suam, & super omnia bona sua: tunc

perpetui reges aeternique domini eritis omnium illorum, quos uestris prædicacionibus uestrae qd doctrina conuersos de terra ad cœlum transmigrare contigerit. Et tunc demum Christus uester rex regum & dominus dominantium erit, cum uos alij præfesse iuferit, tribunos uel chiliarchas amabat, quas ei lucratii estis, constituentes.

Cœlum prædicatorum beatitudine. La. XVI

Sümite igitur calciamenta in pedibus ad præparatio-
nem euangelii, ut cum coelestia prædicatoris, terrena
non contingatis: & de uobis dici queat: Quam pul-
chri pedes annunciantum & prædicatorum pacis, & an-
nunciatiuum bonum. Excitat uos dei amor, proximorum cha-
ritas, promissio uobis beatitudinis merces. Qui em fecer-
it & docuerit sic, magnus uocabitur in regno celorum.
Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in
uitam aeternam. Et qui taliter dñi totidē alia lucrata fue-
rat, dixit dñs: Euge serue bone & fideli, qd paucu fui-
sti fideli, sup multa te cōstituta intra in gaudiū dñi tu. Ta-
leā qd negociandu dñi, sc̄ientia spiritualis est: talēta uero
qd uerlucrat, opa sunt, tum nostra secundū sc̄ientia donū
facta, tū cor quos docēdo & exhortando ut eadem face-
tent alleximus. In Elia etiam beatos uocat dñs doctrina
fanctis dispeñatores. Beati, inq; qui feminatis super omnes
aquas, immittentes pedē bouis & asini: hoc est dñi & ḡe-
tilis: quod qdē ad euangelij tempora pertinet. Ante hac em
lex uerabat arare in houe & asino simul: dñs quoq; apo-
stolis pœperat. In uiam ḡetium ne abieritis. Nunc autem se-
minari sup omnes aquas & pes bouis & asini simul immitiſ
poterit ipse dñs asinā solui iussit, & asino infideli ingressus
est ciuitatē: mādūtq; euangelium omnibus ubiq; ḡetibus
pœdicari. Beati igitur erunt, qd uerbi dei semē, ubiq; fructus
aliquis sperat, studuerint seminar. Qui em conuerterit pec-
catorē (ut Iacobus apostolus ait) saluabit animam eius a
morte, & operit multitudinem peccatorum. Quantu au-
tem meritū sit, peccatorē ad poenitentiam inducere,
& a uictio ad uitatem reuocare, ostendit dominus ad

Matt. 25

Esa. 32

Deu. 22

Iacob. 9

Hier.¹⁶ Hieremiam dicens: Si conuerteris, conuertam te, & ante faciem meam frabis. Quæ sane beatitudine pro uide euangelio licet felicitati, qui & stare dicuntur in conspectu dei patris, et facie eius ppteru cernere. Atq; hec sunt bona illa inefabilia, quæ scientia & probitate prædictis debent præcepto ribus, dicite Salomonem: Eruditus in uerbo reperiet bona.

Prouer.⁶ Dan.¹² Dicete etiam angelo ad Danielē: Qui docti fuerint fulgebunt quasi spendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudit multos, quasi stellæ in perpetuas aeternitates. In quo uidet majoris præstabilitate fore illorum beatitudinem q̄s aliorū sanctorum: quandoquidem ijs rebus comparantur, quæ inter ista nostro aspectu patetiam omnium pulcherrimam appetent, & terram omnem suo illustrat lumine. Ad hanc si eos in terra praeter ceteris reueteri iubemur, quomodo non etiā in celo aliorum honoris gradum adipiscerent? Ait enim apostolus: Qui bene præfunt præsbyteri, duplice honore digni habentur: maxime qui laborant in uerbo & doctrina.

CQuantum prodest habere prædicatorem.

Capitulum XVII.

Satis multa de officio apostolici prædicatoris hactenus dicta sunt, restat nunc uideendum, quantum populo profut habere sanctum atq; eruditum pie iustitiae ueniendi præceptorem, & econtrario quantum noceat si defuerit. Præfente illo erigimus, statim, proficimus: absente illo labi atq; cadere solemus. Iosas rex Iuda donec loquaciter cedotis cōsuetudine cōsiliisq; usus est, pie probeq; uixit illo morte sublato ad uitia declinavit. Ceteros reges omnes, q; fidei morisq; sanctitate probant, educatos institutosq; vel a sacerdotibus uel a prophetis uisse costat. Samuel docuit Davidem, Nathan Salomonem, Micheas Iosaphatum, Osee Joathanum, Elaias Ezechiam, Hieremias Iosiam, Eldras populum, ita ut illo monente repudiarint uxores, filiosq; abdicarint, quia contra dei legem alienigenas accepterant, prolemque cum his multam suscepserant. Difficile fuit uxores dimittere, difficultus ex se genitos a se separare, utrumq; tamen factum sacerdotis adhortationibus his-

4. Reg. 12
Iosas

v. Esdr. 10

risacra reflatur. Tantum ergo prodest idoneum habere doctorem, qui uita increpetur & ad uitium accendat: ut ipso auditio etiam ea quæ incorrigibilia uidentur, corrigan tur & quæ uix sperari queunt, euensiant. In proverbijs a Salomone est dictum: Legatus fidelis, sanitas. Et iterum: Ve na uitae tuisti. Dauid quoq; in psalmis: Docebo, inquit, Psal. 50 iniquas vias tuas, & impij ad te conuententur. Ille sanitas est, quo docente a peccatorum morbo grex infirmus com ualeat. Ille uena uite est, per quem qui in peccato mortui erant, ad uitium capescendam uiuificantur. Tunc autem impius ad deum conuertitur, cum sermonibus prædicato- ris instruitus relicto errore ad uiam sele conforterit. Quid uerbis opus est experimenta docent, q̄ sit expediens prædicationes audire. Sæpe uidimus his auditus, ludicos baptisatum poscere Christi, seculares uiros ac mulieres reli gionis uota suscipere: & quæ perfectionis sunt, libera voce, profiteri. Prædicationes igitur audiendo, homines ex malis boni evadunt, ex bonis meliores, ex melioribus perfecti & ex perfectis beati. Atq; ita demum de terra transferuntur ad coelum, ut fiant de mortalibus immorales, de terrenis coelestis: & si fas est dicere, de hominibus dī. Quod si magni emolumenti res est patriam obsidione hostili liberari, inimicorum exercitus profligari, regni fines longe latentes diffundi, & auctis tandem uirtibus ad bellorum tumultu quietescere, tranquilliq; ac peccati flatus optata felicitate frui: nonne utilius est, ut animæ uitiorum oppressæ iugo, in libertatem ueniderint: ut diaboli potestas uitium profecta cōteratur, ut caro seruat spiritui, & homo ipse nō alijs, sed quod multo gloriōsius est, sibi ipsi imperet, sibiq; dominetur? Si enī nihil prodest homini mundum uniuersum lucrari, & animæ sua par detimentum, consequens est, ut animæ profectus pluris sit, q̄ urbē debellare, q̄ ter ratum orbem sibi subdere, & omnibus quæ ubiq; sunt natōibus præfelle atq; dominari. Adde q̄ multi reges ac principes, qui ab hominibus honorant, deo exosi sunt: quicq; autem probe sancte atq; uixerint, siue liber, siue seruus, nō potest non esse gratissimus qđe atq; charissimus. Quid au-

tem iuuat, regnis præsidere, & ab ipso rege regum reprobari? Regnum tibi si hostis non abstulerit, certe auferet mors, quæ semper propinquior est tibi creditur. Cœlestis vero beatitudinis præmium, perpetuum est & perenne. Nullius minas metuer, qui illud consecutus fuerit, nullos casus formidabit, semperq; felix ac beatus erit, quem semper dominus in suum receperit regnum. Et si ad tantum acta le bonum per sanctorum doctrinam peruenitur, nulli dubium est, quin super omnia conducib; sit, sanctas in ecclesia auctoritate predicationes, & earum institutionibus in usum dirigi uitrum. Auditisti quantum expedit habere uitæ instituorem, audi e diverso, quanti detrimenti sit eo tarere,

Conquantum nocet prædicatorem nō habere.

La. XVIII.

MAlatum voluptatum illecebris deliniti hoies, in omne nefas licet inueni, si nemo sit, qui impone luxuriantes eloquij uitribus coerect atq; moderetur, & futurorum expectatiōe a præfentium cura auerat: ut uel peccatum meu, uel spe præmiorum a uitis ad uitum transferantur. Hoc Salomon in proverbijs testat, dicens: Cum propheta deficerit, dissipabitur populus; diffidabit utiq; populus, non corporum motu, sed quod deterior est, inconfiantia motu, carni magis q; spiritui seruendo. Nec enim fieri potest, ut sit ibi uitritu locus, ubi non est qui doceat uitum. Hinc idem ait: Vbi non sunt bous, præsepe vacuum est ubi autem plurime segetes, ibi manifesta fortitudo bouis. Nam quemadmodum de labore boum paleis ac sceno impletur præfeps, ita per studiū prædicationis auditorum corda imbuuntur præceptis iustitiae exēpiscopij uitrum, & fructum faciunt operando q; didicerunt; atq; tunc bouis tritaurantis, cuius os uincit lex prohibet, fortitudo appetit, cum in pligbe ubi lolum & steriles auenæ erant, bonaq; actionū seges exurgit. Porro ubi non sunt bous isti, ibi præsepe non solum vacuum est, sed etiam immundum: tunc enim luxuria frena laxantur, gula ventrici indulgetur; tunc impudicitia amittit uercundia,

Prouer. 29

Prouer. 14

injustitia metu, auaritia modestia: tunc odia cōcipiunt, ira exardecunt, rixa seculunt, & qualibet flagitiū genere liberè peccat, cum non adest qui peccantes uerbo correctionis caſtiget, & sermonibus doctrina salutaris inciter ad probita tem. Fit autem plarūq; ut plebs aliqua propter scelerum magnitudinem cordis duritiam indigna sit, cui deus mitiat uerbū doctorem. Vnde per Amos prophetā ait: Mit tam famem in terra, non famem panis, necq; sitim aquæ, sed audiendi uerbum domini. Itaç uerēdum est, si in ciuitate suis ieporibus non affuerit euangelice disciplina p̄dicator, nead extremum usq; scelerum peruetum sit. Quod cum acciderit, nihil reliquum est, nisi ut funditus evertantur gens illa & pereat, quæ ab eo, cuius nutu cuncta sustentantur, derelicta erit. Sunt pterea qui discere, qđem uellent, sed non est qui doceat, resurunt & sitiunt iustitiam, & non inueni, a quo præceptis iustitiae saturentur. Hos deplorat Hieremias & ait: Adhæsis Jingua lacrantis ad palatum eius in siti, Parvuli petierunt panē, & nō erat qui frangere eis, Hi certe miseratione digni, q; dum bonis exaturari cupiunt, malis quo scirunt, abstinent. Nequē ait: scrupulū patianter er toris orādū est, ut mitat dñs oparios in messem suā. Quicquid interim patiunt, pafrog; culpa sit, q; prasum ecclesijs & dum seipso pascunt, gregis esurientis periculum negligunt. Quod si eorum incuria ouis aliquip perierit, sanguinis eius rei erunt. Dñs Iesus redemptor noster aluit turbam in deserto, ne deficiant in uia: ut isti sedēret, eos in uia uitæ deficeret, qui non habent dulcē, a quo perduci possunt ad uitam Nulla aut̄ maior homini contingere potest præcices, q; a re cō honestiq; tramite deuiciat. Tam ergo malum est carere uitæ uocis hortatoribus ad coercenda uitia uitæ sc̄p capescendas, q; bonum eos habere. Quare uos omnes qui in deserto seculi huius uitam agitis, & terrenar; rerum sollici tudenibus occupamini, querite pium querite sanctum op portum ieporibus uobis monitorem, quo declarante et modestius discatis uiuere, & meliora possitis sperare. Vos quoq; qui dono dei sp̄iritualis doctrinalis scienciam estis secuti, incubite opeti officioq; p̄dicandi ac docēdi. Cogita

Amos

Tren. 4

te quanti apud deum meriti sit, catholiciis fidelibus p̄fice
ptis erudire indoctos, & uel unū uel alterū Christo lucrari.
Quanta etiā dilectionis argumētū, omnes docere, ut oēs
uobisū simū saluētur. Non sit uobis graue, urbes, uicos
regionesq; p̄currere, & illos imitari: de q̄bus scriptū est:

Psal. 18 In omnē terram exiuit sonus eorū, & in fines orbis tenet
uerba eorū. Qui non modo illos q̄ tunc erant, docuerunt
uerūtētū posteros oēs q̄ sunt, quiq; deinde erunt, ad quos
cuncte scripta illorū p̄uenient. Ac nequid ex his quis in ter-
ra sitit fōtō labore doctoř, māris esse creditur, hoc labo-
re fundata est Christi eccl̄ia, hoc adūcata, hoc permanet &
adūerūm hæres inuicta, & adūerūm uitia immobiliſ. Niſi enim
scripſiſſent illi, q̄bus datum fuit noſe mīſteriū
dei, q̄s nunc quā uera ſunt diceret, q̄uis diceret? A
prophetis, ab apostolis, a reliquā eccl̄ia ſancta magis tris
didičimus, que nunc docemus. Ipſorū profecto q̄ diſcipu-
lus non fuerit nō poterit eſſe utilis preceptor aliorū.

De corporis manūmō laboro. **Ca. XIX**

QVONIAM uero prædicāti ac docendi exercitatio ad
eruditos tantum pertinet, simplicibus & indoctis
eam dabimis exercitacionem, que corporis ma-
nūmō laboro conſtat, ſuauat em̄ poſt foliata p̄cationum fa-
cītia operis aliquid facere, ut habeat mens & cogitatione,
in quo ſe occupet, & minus libera ſit facultas euagandi p̄
illas rerum temperatūlū uanitatis, que uel inuitis nobis
obrepē interdum et obuersari animo ſolēt. Honestus quiq; labor
monacho conuenit, aut legere, aut ſcribere que ſcīa
ſunt: pingere etiam uel ſingere ſcīa imagines, quaꝝ con-
templatione accendatur ad uitūtē. Item in horto plantas po-
nere, farculo inutiles herbas excere, humum ligone uera
re, riuiulis irrigare, & ſiquid aliud res exegerit, olitoris ope-
rficere. Præceptum eſt enim: Non oderis laboriofa ope-
ra, & agricolationē creatā ab altissimo. Præterea fiscellas lētū ui-
minibus texete, ligna dolate, onera ferre, & q̄cqd dei ſeruo
nō illicitū ſactū credi pagere: neq; comittere, ut inertia ui-
etus geficat, & q̄ ſodificat aut leſtū ſupsum ipsa oſio ſibi
p̄dat. Ista aut̄ o monache, q̄ ubi ſaciēda iniungimus, ne q̄ll

uila & abiecta contemnas: illi qui talia faciunt, a do-
mino ſublimati ſunt. Pſcabantur Petrus cum alijs etiā poſt Petrus.
accipitū apoloſtoli. Paulus funiculos in torquebat, ne q̄q; Paulus,

sui uictus impenſa grauaret: nunc a regibus terra ueneran-
tur. In humili igitur opere exercerine aſperneris, qui cum
Christo cupis in coeleſtibus regnare. Non te pudeat pau-
menta monasterij ut munda ſint uerrere, uala mappa q̄ la-
uare, coquinā facere, eſculenta poculentia q̄ alijs miniftra-
re. Non puduit oīm dīm ſeruis ſuis pedes ablucere, terge-
regabiliſ. Qui talia detraciat, ſcas illum nondū ad hu-
militatis uitētē perueniſſe. Seruilia igitur opera fac, ut hu-
miliereſ; laborioſa, ut carnis perulantia domes: uenalia, ut
uictum pares: religioſa q̄a pingendo uel ſingendo ſunt,

ut quod profeſſus es conſtantius exequaris. Etenim sancto-
rum ſimulachra ſue pieta, ſue facta ſi jugiter ſpectetur, ſi
muli ſunt ſedidit fugienda laboriſq; ſubeundū: dum ad
menē nobis reuocant, quibus artibus ipſi ſancti ḡernam

beatiuſinē conſecuti ſunt. Hanc certe adepti ſum, Antonius
us qui ſportulas de palmaſ, folijs texuit, Hilariō qui ligno concidit, Seraphion qui cum ſuis diſcipulis mēſis tempo-

re operam locabat, ut inde haberet quod ipſorū uictui an-
nuo ſufficeret, Archebius qui ſuis manib; ſcellas conſtru-
bar quas alii donare, Pacomius cui cum ſuis monachis

poſtulati ſuit manu labore uictum quātere, Dorotheus qui diuendit quas texerat ſportulis, pretiū quod uictui ſupereret, pauperib; erogabat. Nō, prauis cupiditatibus

reſiſtere, non ad perfectionē uitae peruenire potuiffent, ſi
ſucciuſa tempora otio contriuifſent. Laboro quippe cor-
poris vegetatur intellectus, voluptati appetitio coereſt,

superbia frangitur, uirtus retinetur, & quiq;uid per otium
corruptum fuerit, per labore inſtauratur. Deniq; operum

orationē ſcīa uictuſiſtudine diabolū tentamentū ſuperant & in
poſitō uitę ſanctorioris in finē uſq; peruerterat. Si pau-
perate profelſus es, magis liber eris cum manu labore

uictum queſteris, q̄ cum eleemosynā accepertis. Labora-
mus, inquit Paulus, manibus noſtris. Et ſi manibus labo-
rabitis, cui ut Christum prædicaret in iunctū ſuerat, quāto

magis ei labor hic necessarius est, qui nemine docet, cui post dictas deo laudes ostendit et, nisi se alicui corporis labore accingat. Ad Theſſaloniceſes ille scribens, fare ope
ra manū feciſe ſe, neq; grauerat ſubſidia uite poſeo
pro minifterio uerbi, q;uis id liceret, uolens potius dare le

2. Theſſa. 3

Ibidem.

Actu. 29

Luc. 12

Proverb. 6

in exemplū operan di uictus grā, q; poſcendi. Et ſequi nō
uult operari, inquit, nec manducere. Cunq; eſet Epheli (ut
Lucas referit) ad maiores natu locutus eſt: Argentū & au-
rum aut uerſe nullus cōcupiū ſicut iſpi ſcīti: qm ad ea ſ
opus erant mihi, & his qui meū ſunt miniftraverunt ma-
nus iſta. Hunc ergo qui inter apostolos plus oſtrībus ſpe-
re impedit in p̄dācendo & ſcribendo: ſi ſequi in iſis nō
potes, imitare ſalē in manū exercito ac labore. Sic enim
& neceſſitatiuitate tuę confules, & ſimil uani cogita-
tionibus facilis repulſam, paratiorq; ac promptior
ad ſoluenda precū uota redderis. Nam quēadmodū uiri
uici appetentiā edendi prouocat, & cena placet in q;
apponunt uici dapes diuerſeq; ab illis, que in prando fu-
erunt, ita & orationē gratiorē faciet magiſca delectabiliem
alterius operis uicissitudinem. Quod aut̄ ait dñs: Nolite folici-
ti eſe anima ī uentre quid manducetis, neq; corpori uelto
quid induamini: ſollicitu dinē metuendū ne uite neceſſaria
deficit, tollit: non laborē adimit, ut ſimil quod in te eſt fac-
as, & oīm in deo ſpem habeas firma atq; ſtabilem. Oſlo
aut̄ uana eſt ſpes. Terra iſpa non reddet fruges, niſi graue-
ris ſementem pſeceris. Primo homini dicitū eſt: In ſudore
uulturi uiferſi pane tuo: & tu panem parare tibi poſte
putas nihil agendo, uel cupidines malas uiuere & ſenſi-
bus imperare? Credo mihi non otium haec omniſ ſuperat,
ſed labor improbus (ut poeta inquit) & duris urgens in re-
bus egeſtas. Monachum itaq; & pauperē & laboriosum
eſte oportet: pauperem, ut in deo diues ſit: laboriosum, ut
faciliſ perueniat ad quietem. Vnde dono dei ſapienſiſ
mus Salomon mitit te ad formicam, ut eius exemplo uili
aliquid pares, quo poſtea uſurpiſ: hoc eſt uel uiuſum, ne
efuſum, uel in operando occupationem, ne carnis diabol-
& oppugnationibus per inerit iam ſuccumbas. Ingeniem

(ur quidam ait) formicæ farris aceruum. Cum populant
hyemis memores, teſtocoſ reponunt. It nigrum campis
agmen, prædamq; per herbam conuectant calle angusto,
pars grādīa trudunt Obnix: frumenta humeris: pars agmi
na cogunt. Caſtigantq; moras, opere omnis ſemita feruer.
Tu ergo iſtas imitatus futurorum memor, praſentia bene
diſpone, & callem angustum ingredere, qui duciſ ad uitā,
non latum qui duciſ ad perditionem: ſuppone humeros la-
bori, ut aliorum quoq; desideriū ſomniculosam tuo exci-
tes exemplō. Nullam interim laſſitudinem timeas: laborā
tem adiuuabit dominus, & adiuuandoſ confolabitur. La-
borabant contra uentum remigando apostoli, quādo ſal
uatore in nauiculam ascendente cefſauit turbas & fluctus
quieuer. Vocat quoq; eos dominus qui laborant, dicens:
Venite ad me omnes qui laboratis & onerari eſtis, & ego Matt. 11
reficiam uos. Hanc tu refectionem intrate ſenties, quoties
quicquid agis, ad eī ſinē dixeris, ut purius dño tuo ſer-
uias. Omne quodcumq; faciſt, inquit apostolus, in uero Colof. 3
aut in opere, omnia in nomine dñi noſtri Iefu Christi faci-
te, gratias agentes deo patri per iſpum. Facere opus & gra-
tias agere ſimil iuberis, ut & manum cum Martha mini-
ſterio occupatam habeas, & mente cum Maria diuini cō
templationi intentam. Operari præterea manibus debes,
non modo ut neceſſaria compares, uel mali tentamenta
utinas: uerum etiam ut habere poſſis quod alijs impatiatis
dicente aplo: Qui furabatur, iam non furetur: magis autē
laborat manibus ſuis quod bonum eſt, ut habeat commu-
nicare ei qui indiget. Hoc idē ſuore te exēplo hortat mulier
illa fortis, de qua ſcripū eſt: Quę ſuit lana & linū, & ope- Prover. 31
rata eſt consilio manū ſuār, deinde ſequiſ. Manū ſuā ape-
ruit inopis, & palmas uias extendit ad pauperē. Grādis pro-
fecto charitas, non tam pro ſuāq; pro aliorum inopia labo-
rare, & operi propterea libentius incumbere, uel colas pie-
tatem. In fine dicit: Date ei de fructu manū ſuār, & lau-
dent eam in portis opera eius. Ex quo dicitur, q; chari-
tate ſeſtantis labor, bonis tandem compenſe ſeptembris.
Veniāt neq; imprudēter ſupponat dorsum ſuū oneri

Matt. 8

Matt. 11

Colof. 3

Ephe. 3

Prover. 31

quod ferre non satis praeuertet, penitenda uires sunt, moderatę agendū. Nemo iumentum suum plus iusto onerat, & si illud uiderit sub fasce gemere, ac ritubant uictigio male incedere, demit aliquid, ut pondus eleveret, & ad mensurā onerariū ire dimittat. Haud aliter tibi de iumento corporis tui faciendū erit, aliquin iumentis quiibusdam minus sapere uideberis. Camelus em̄ nec ultra solitū procedit spatiū, nec plus instituto onere recipit. Quod si maius ferente fuerit onus, necessē est ut opprimat. Inconfulta effluunt moderata atq; durant. Nec em̄ qui uoluerit laborem, sed qui perulerit, aeternā quietis beatitudinē consequetur.

Co^{do} otio inutile et infuctuoso. **La. XX.**

Verū aut & corporalis & spirituallis operis labore copidius ardentius subeamus, ineritis oītū uitium q̄ de testabili sit consideremus. Arguitur stultitiae q̄ la borem deuitat, dicit̄ Salomon: Qui se fatur otium, sui tūmū est. Idem pūfili animi esse dicitur: Pigrum, inquit deic̄t̄ timor. Somnia etiam magis q̄ uigilie deducit̄, Pigredo, inquit, immittit sapore. Idem tam uirtutis q̄ rerum egens erit. Dic̄tur enim: Egestatē operata est manus tem̄illa. Et sterum: Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo aestate, & non dabitur illi. Otiosus ergo et stultus est, & metuic̄lōsus, & somnolentus, & animi fortuna q̄ bono egens atq; inopiosus. Nihil tamē in se peius habet otium, q̄ patet concupiscentijs. Unde dic̄tur: In desiderijs est omnis otiosus. Et rursum: Multam malitiam docuit otiositas. Cum aut̄ otiosus malitiam didicerit, flagitijs q̄ se onerauerit, iacet in illis, & torpore uictus uix unq̄ de refurgendo cogitat. Nam si quando ad se rediens culpam agnoeat, impossibile sibi uidetur, ut ab ea deflatur. Et interdū ipse de sua pigritudine conqueritur, intra se cū propheta dicens: Circumadūcūt̄ aduersum me, ut non egrediar, aggrauauit compedē metū. Sed cum liberum sit non peccare, nihil prodest difficultatē a peccato celiandi prætendere. Et quoniam anima otio marcescens ista imbecillitas est, non natura. Viderunt eam hostes (ut in Hiero, tūmia est scriptū) & deriserunt sabbata eius; hoc est, infuctu-

otiam quietem eius dæmones intuentes læterati sunt: eo q̄ illam ignauit̄ torpescēt̄ ad quaç turpia facile se perturbauros, quasi pīscem hamo sperarent, donec ad interitum uicē dederent. In hunc em̄ interitū corruit & Sodoma, de qua dicitur: Hæc fuit iniqūitas Sodomæ sororis tuae, su perbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius. Quod si nō abundas, sed inopia premeris, & tamē otio indulges, non es a periculo perditionis liber, quandoquidē nō iolum abundantia & saturitas euenterit Sodomam, sed etiam otium: immo tanto nequius ostiatur pauper q̄ diues quanto minus haberat causam otandi. Diues nempe cum otiosus fuetit, uoluptatibus luxuriat̄ operam dabit. Pauperi aut̄ necesse erit, furto ac rapinis querere unde uiat, et in alios graffari, ne ipse fame pereat. Longe itaq; periculofior est otiositas egensis q̄ abundantis. Quid præterea dicam? Fructu illi natura manus dedit, qui nihil agendo cōtent; aetatem; q̄ si necessaria forent ad applicandā tantummodo oria alimenta, etiam pecudib⁹ dātae fuissent. Operati manibus hois propriū est. Qui ergo manus suas ad aliquid honesti faciendū non extendit, pecudi certe similior est q̄ homini, aut etiam pecude deterior. Mutum em̄ animal in multis usus utilis est, homo uero otiosus nulli proficit, sibi aut̄ etiam nocet plurimū; ut ex his qua dicta sunt satiū constat. Idcirco sane etab hoibus male audit, & a deo reprobar. Alij eum statuam lapideam appellant, alij inertem aellum, alijs fatuam anū aut nihili hoiem: atq; hunc in modū pecculantibus cauillantiū uocibus taxatur, illuditur, laceſſitur, probro contempnūt̄ habetur. Letus tamen hoc eiab hominibus ferendū est, nisi etiam ab illo qui su pra hoies et damnariē. Lex uetet eunuchum intrare in ecclesiā dñi. Quisnam iste eunuchus est, nisi otiosus, de q̄ nulla proles oritur uitium? Non potest eunuchus generare neq; languori ac foscidā deditus aliquid boni facere. Repellitur itaq; ab ecclesiā, ut cœtu fidelium indignus. Non est em̄ de illo eunuchoz genere, qui se castrauert̄ propter regnū celorum. Valde quispe diuersum est, casitatem deo uouet, & sterilitatē boni operis torpescere: quod nō deo,

Prouer. 12
Prouer. 18
Prouer. 19
Prouer. 20

Ecole. 33

Tren. 3

Tren. 2

Deut. 23

Matth. 25

sed diabolus ferire est. Hic est ille qui talentum ad negotium dum acceptum abscondit in terra: & cum nullum qualiter se ferit, eis iubetur in tenebras exteriores, quare horror fletus auger & dentum stridor. Hic est, quem nec frigidum nec calidum, sed tepidum tantum Apocalypsis appellat. Cui uidelicet satis uidetur, si peccata cauerit, p̄misus boni nihil operi. Sed dum in isto tepiditate propolito insipiente perseverat, nauseam facit dñs dicenti: Incipiam te euomere de ore meo. Pracepit enim dñs non solum descendere a malo, sed etiam facere bonum. Quod si bonum non feceris, licet malis abstineas, non es executus quod iuberis. Nolle autem obedire deo, malum est; tempus etiam ad bene agendum datum sine fructu elabi sinere, malum est. Non potest iugatur fieri ut otiosus malo omnino expers sit, cum etiam ipsum otium malum sit. Merito itaq; & ab ecclesia proscelit, & ab ore dñi ueluti mucus panis expuitur, itaq; ad tentacbras relegatur, usq; semper patiatur malū, qui nunq; facere uoluit bonum. Omnis enim arbor que non facit fructum bonū, excidetur & in ignem mittetur. Ficus etiam habet folia, sed non & fructum a dñ, maledictus & arescit. Illam quoq; sic dominus uiuēe succidī iubebat, ne terram occuparet, in qua iam per triennium fructum non uiderat; sed ad preces cultoris uiuēe volentis arborem ipsam circumfodere stercoracq; apponenter, quanto etiam anno expectauit, ut fructum faciat. Expectat utiq; clementissimus dominus ab otioso boni operis fructum in pueritia, expectat in iuuentute, expectat in aetate uirili, deniq; ecclie praepositi alicubi uerbis exortatus expectat usq; in senectam: ut ille tandem eiudem praepositi uel increpatione impulsus, uel praecopsis eruditus, ab ignavia mollietateq; animi ad studiū honesti laboris exciteatur et exurgat. Quod si ne tunc quidem desidiām infructuosam reliquerit, quid aliud restat, nisi ut demittatur damnationis iuste securi fucidendus? Ne igitur tibi placeas otiose, qd nihil boni ages adhuc non plecteris, dilatio poenæ est istud, non uitio imputans. Quanto diutius otiosus fueris, si te saltem in fine non correxeris, tanto acrius punieris. In salicibus infructu

Apoca. 3

Matth. 3
Mar. 11
Luc. 13

Psal. 136

olis, in medio Babylonis, quæ est mentis in delicijs perticta confusio, suspendisti organa sensuum tuorum, turpi voluntati dectius, & ad flagitium indies magis declinans. Quo usq; abutere patientia dñi emendationē tuam expectantiss? Non uides, non animū aduertis, qd cito transeat dies & labantur anni, qd unaquaq; hora non ita uita longioris ut praefensis mortis certa sit? Nullus est enim temporis punctus, quo non arcifanū uita nostra spatiā, & quo mors non bis no propior sit. Quid ergo moraris? quid procrastinas? Rumpere tandem somnolentiā iustum & expurgificare, ac tā supina oscitacionis tarditatem recte factōs solli: itudine discutere festina, antequam ratione uillicationis tuarē rede re cogaris. V el si usq; adeo torus obstupesti, ut uirtutis operibus te parem fore diffidas, uoto saltem aut lingua pte languori remedium, aridamq; ostentans manū ad dominū suppliciter accede: & ipse postq; te pigritudine pœnitere compexerit, dicer tibi: Surge in medium, extēde manus tuam. Tunc tu ope adiuuus diuina, protinus exurges qui haec tensi facuerais, & in medium stabis in quo locus uirtutis est. Nam extrema uictiosa sunt, dexteramq; dñi contractam extendere incipies, ut opereris bonum. Atq; itaq; qui tua culpa iniutis oīsi languorem pariebare, diuinę gratiū curatione saluus evades. Luc. 6

Caput. XXI.

Pono qm ad acquirendā diuinę benignitatis gratiam opus est humilitatis uirtute, tempesiū uidetur, ut nunc de ipsa differamus. Dñs enim qui in altis habitat Psal. 1: 2 (utin psalmo dicitur) humilia respicit in celo & in terra, Superbis reficit, humiliis autem dat gratiam. Et in alio psalmo: Excelitus, inquit dñs, humili respicit, alta autē a longe cognoscit. Longe est enim ab eo qui inflatur, qui fastū fouet, seq; super alios erigit: & quanto magis in solefcit, tanto longius a deo recedit, ad quem nō est nobis accessus nisi per humilitatem, iuxta illud: Sulcipies mālūtos dñs, iu milians autē pectora uerbi ad terrā. Quod & Salomonē propter uerbis confirmat, dicens: Ipse deluder illusores, & mālestis Psal. 46 Esa. 57 dabit gratiam, & Esaias propheta: Deus, inquit, in sancto

Esa. 66

Zacha. 13

Matth. 11

Psal. 81

x. Cor. 1

Soph. 2

Judith. 9

Matth. 8

habitan, & cum contrito & humili sp̄ti, ut uiuificer sp̄ti tum humiliū, & uiuificer cor contritoy. In eodē prop̄eta dñm audimus dicentē: Ad quē respiciam nisi ad paupertum & contritum sp̄ti, & tremenē sermones meos. Et in Zacharia: Converta manum meā ad parvulos. Quæ autē maior gratia humilibus in uita dari potuit. Q̄ uerā religiōnis cognitio: quæ in arcano latebat, & quā ne philosophi quidē inuenire poterant, eam nos Christo monstrante dīmis. Vnde ipse ad patrem conuersus: Confiteor tibi, ing, pater dñe coeli & terræ, quia abscondisti hinc a sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea parvulis. Parvuli sane ac humiles erant apostoli, qui pr̄imū didicerunt ut alios docerent mysteriū de: de quibus in psalmō fuerat pr̄dictū a propheta ad deum dicente: Ex ore infantū & lacrentium hoc est sermonibus & pr̄dicatione simpliciū & vulgarium hoīm, perfecisti laudē: laudem ueritatis, laude euange li, dīciplinaq; salutaris. Ut quā mundana sapientia ac men inuestigare nequivit, eam pīscator, hebreo docet inciperet. Hinc est illud quod Paulus apololus ait: Stula mundi elegit deus, ut confundenter sapientes: & infirma mundi elegit deus, ut confundat fortia. Item dñs humiliū precius facilem se p̄abebet, arrogantes uero non exaudit. Ideo Sophonias prophetahortatur & ait: Quarier do mīnū oēs mansuetū terræ, qui iudicium eius effl̄s operari, querite iūstū, querite mansuetū. Sciebat enim, ut iūstū & mansuetus dñs exoretur, ad seruos iūstos manuofiq; spectare. Seruum quippe qui gratus charulq; dīo suofieri defuderat, mores eius imitari oporet. Nam quāadmodū dissimiles inter se diffident, ac disperantur, ita similiū summa semper concordia est: & dum paribis nitunt studijs mutua beniuentia incalefunt. Quod autē humiles audiat deus, per oēs fere diuinā scripturā historias patet. Sācta uidus Judith cum Holopherne congressura cīlitum induit, ieūnat, orat, & ait: Nec superbi ab initio placuerunt tibi, sed humiliū & mansuetos: semper tibi placuit deprecationis: & illa quidē sicut humiliū orauerat, ita quod molebar, perfecit. Clamat in euangelio Centurio: Domine

non sum dignus ut intres sub rectū mēū: & eadē hora qua si humiliū est, quod petierat, impertrauit. Necq; cīm fru stra scriptum est: Oratio humiliantis se, nubes penetrabit. Chananaea mulier iā reptilam passa, iā in canū cōparatiōe concepia, q̄a ab humiliitate non recelit, meruit tandem exau diri. Filius prodigus cōsumpto patrimonio ad patrē cū hu Matt. 15 militate reuerlus inuenit ueniā. Peccauit, inqt, i cōlo & co ramte, iam non sum dignus uocari filius tuus: atq; ita humiliū amplexum meruit patris, osculū, indumenta, an nulum, cōuiūnum. Quod ergo luxuria exhaustera, humiliūtēs reparauit. Publicanus pēctus peuit, consciūtq; delicto rum oculos in cōclūm non audet attollere, & iūltor redit phariseo, q̄ iūtunabat, q̄ decimas soluebat, qui bona mul ta faciebat. Illius enī peccata delevit humiliūtēs, huius merita compit mētis elatō. Non sum sicut cāteri hoīes, inqt, & qui se cāteris preferre non dubitauit, publicano etiam posponitūs iudicatur.

De exaltatione humiliū in lege. La. XXII

Gn. 18

Non solum aut̄ quæ poposcerint humiles cōsequuntur, sed etiam mirabilium operum gratia donān, & post hēc p̄amē beatitudinis āternæ cumulatiū capiunt. Abraam puluerem & cīnerem se ēle dixit lo Abraam quens cū deo: benedicturq; ei, & semini eius. Iacob submittit se fratris Esau, atq; illum dominū suū uocat, per Gen. 32 nuncios ab eo capit benevolentiam, mittit munera, ut leniat irārum: & post hēc gloriatur, dicens: Vidi dominū Iacob facie ad faciem, & salua facta est anima mea: & tanq; adhuc submississ agit. Obuiam enī factus fratri, septies pro Gen. 33 nus in terram adorat, donec proxime accederet. Atq; hac tanta subiectiō ab indignato fratre extorsit pietatē: ita ut ille quem p̄dere decreuerat, in eius collum ruēs ipsum amplexaret osculateturq; dulcius q̄dici queat, & fraterna te neritudine superatus fieret. Vnde rūrum benedictionem Exod. 5 accipita domino, & indī ei nomen Israel, id est, uir uidēs deum. Deū ergo uidere meret, qui se propter deum homi nibus humiliūtēs submittit. Loquēte dño de rubro coru d Moses in faciē, & cū mitueret ad Pharaonē, educēdīc; Moses

d

de ægypto populi dux constitueretur, in dignum se factis eo munere, atq; id inire recusabat; prò illis etiam a quibus passus fuerat iniuriam, suppliciter deum deprecatim est. Quas obres meruit fieri populi Israëli liberator degyptiacæ servitute, legi sc̄i diuinæ lator, & multos mirabilium

Num. 11

autem, atq; alij præferri dei iudicis dicentes. Siquis fuerit inter uos propheta domini in uisione apparebo ei, uel per somnum loquar ad illum. At non talis feras meus Moyse, qui in omni domo mea fidelissimus est. Oremus ad eos loquar ei, palam & non per enigmata & figuræ deum uidet.

Exod. 45

David

Hinc est illud in ecclesiastico scriptū: Dilectus deo & hoibus Moyse. Et post pauca: In fide, inq; & lenitate ipsius sancti fecit illi, & elegit eum ex omni carne. Daud quoq; mansuetus & mitis uel si mavis dicere humilis, plectuonē Saulus odiumq; capitale malit uult uite fugiendo & uindicando: tū illi semel atq; iter occidere potuerit, noluit. Ab inimicis profligatis & interemptū fleuit. Ideo dignus iudicatus est, q; ei succederet in regno. Ab salonis etiā filii nec lachrymis & lamentationibus prosecutus est, in eo bello interempti, quo ille nitens patri regnum eripere. Quia quidem pietate Daud, uel patientia, uel humilitate, quodcumq; horæ dixeris, recte dictum erit: promeruit ad decrepitatum usq; aetatem regnare, inimicis uictor, & ipse inuitus, omniumq; regiū Judgeo deo charissimus.

Vnde futura beatitudinis spe plenus: Placebo, inquit, domino in regione uiuori. Credidi propter qd locutus sum,

Psal. 114

Psal. 115

ego autem humiliatus sum nimis. Quanto maiora speravi, tanto magis humiliatur. Non enim euicit mortales ad gloriam superbia, sed humiliat. Job patientissimum sonna simili & corporis bona amississet, ad extrema redactus miseriam, humiliatis uitrum non amisit. Foliisq; qd uento rapitur & stipulam siccum uocat, dum dormitum alloquiri, & tot tantusq; calamitatibus affectus intus suolu locutus est. Post hæc sibi restitutus duplicita receperit dicit, ut quantum se humiliauerat, tantum exaltatum, uel duplo magis intelligas. Duos quinquagenarios ab Ochozo re gemisso, ut Heiam prophetam comprehendenter, ignis

Job

decoelo lapsus absumpst: tertium humilitas reddidit uitum. Flexis coram Helia genibus ueniam precasta uitè per 4. Reg. 2 riculum evasit. Superbi ergo prouocant iram dei, humiles autem prouocant placant. Amos pastor quia mitis man Amos sueticq; ingenii fuerat, spiru sancto repletus, predixit Samatia uita futura, & prophetis meruit annumerari. At eum propheta dignitate prædictus non in solecit, sed magis humiliat. Nō sum propheta, inq; nec prophetæ filius, sed armentarius uellicans sycomorus, & dominus misit me prophetare ad Israhel. Dum exaggerat domini beneficium, sue conditionis confitetur. obcuritate, de armariario factus propheta: si dissimulasset, & ingratus quidem habereunt, & humiliatis parum. Quid multa sic habe, neminem in uitribus profecisse, neminem sanctum uel deo charum fusile, cui defuit uirtus humilitatis. Fundamentum custosq; uirtutum, & de terra ad celum ascendendi uia est humiliata. Per hanc omnes protus ingressi sunt, q; nunc insupnis sedibus habitant, facti domestici dei ciuesq; sanctorum.

De exaltatione humiliū in evangelio. Capitulum XXII.

NE tamen nouorū exempla omnino pterisse videat Iohann. bap militante in medium proponā: de his em̄ dissertus expressum in scripturis comperio. Iohannes interrogatus quis esset, negauit se esse Christum, malēs ueritate submitti, qd eterni mendacio, & necq; Helia atq; prophetā se esse afferuit dum humiliatur: proinde Christi testimonio exsolitus qd uidelicer in spiritu Heliae uenisset, qd plurimā propheta esset, qd deniq; inter natos mulierum nemo illo maior surrexit. Illi tamen modis omnibus derūcere se et humiliare non desitit, cum de Christo diceret: Ipse est qui Ioh. 2 post me uenit, qui ante me factus est, cuius ego non sum dignus, ut solū corrīgam calciamēt. Petrus piscator erat Petrus & in Christū credens in dignum se eius cōsortio iudicauit. Exi a me, inquit, dñe: quia ego homo peccator sum. Ob hoc ad apostolū uocari meruit, ut qd ceteris pisces capiebat, d 2

x. Iohann. 13 prædicatione veritatis hoies caperet. Solus nō sinebat sibi a dīo lauari pedes, postq[ue] patit (cū illi) partē non habuitur nisi lauare intellexit: nō folum, inq[ue], pedes, sed & manus & caput: prima vox humilitatis fuit, secunda charitatis. A

Mat. 16 quo nolebat lauari, ab eo separari p[ro]mituit. Porro q[uod] e[st] ethu Paulus militabat plurimum, & uehemētius q[uod] ceteri diligebant, dicit ei dominus claves regni, & principem constituit apostolorum. Paulus de uale irę uas factus est electionis, quan tum anea furore aduersus Christum intumuerat, tanum

x. Cor. 15 deinde propter Christum humilitate se deiecit. Ego, inquit, sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolos, quoniam p[ro]leucus sum ecclasiā dei: gratia autē dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laborauit. Ac ne labores laudem sibi tribuere uidetur subdit: Non ego autem, sed gratia dei mecum. Alibi etiam omnium infirmum se fatetur, dicens: Mihi enim omnium sanctorum minimo data est gratia h[oc]a, in genibus euāgelizeare inuestigabiles diutinas Christi. Dum Lystris cum Barnaba prædicationis officio fungeret, dix crediti, diuinū sibi exhiberi honore uic[em] ad responderunt, ut scilicet uelutibus mortales se esse clamaret, & ob hoc q[uod]dē missos, ut falsorum deoꝝ cultoribus ueri dei nostriā insinuerit, salutiq[ue] eorū: qui crediti sunt consulant. Et hi sane de q[ui]bus locutus sumus, ceteri c[on]iuide ordinis hoies, si nosse uis, ad quantum gloriam in celo exaltati sint; considera qualem dum in terra uiueret, gratia acceperint. Ceteros illuminare, leprofos mundare, mortuos uiuificare nulla possunt medicamenta, isti poterunt. Si magna gratia h[oc]a, haud dubium, quinetiam magna que gratiam fecuta est merces fuerit. Quanto igit[ur] humiliores deo seruendo erimus, tanto gloriam celijorem conseq[ue]mūr. Ceterum cum multis hoc loco breuitatis causa præterierint, quo exemplis uti magnifice poteram, Mariam tamen dei matrem, cuius filium saluatorem nostrum silentio prætermittere nullo modo possum. Hæc fabro desponsata fuerat, in turba pauperum incognita latebat: instantum autem humilitate placuit, ut a deo electa sit, quæ dei filium generares

Vnde ipsa gloriatur dicens: Magnificat anima mea domini Luc. x num: & exultauit sp[iritu]s meus in deo saluatori meo: quia respexit humilitatem ancillæ sue, ecce enim ex hoc beatam me dicit omnes generationes: quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius. Quid enim maius uitæ gini conferri potuit, q[uod] ut creatorum suum pariat, q[uod] ut domini sui mater sit: & hoc quidem non uiolata uirginitate, sed sanctificata: ut purius niteat in secunda, q[uod] nitebat in sterili.

De humilitate Christi. **Ca. XXIII.**
Ei uero filius factus est hominis filius. Verbum ca Iesus Christus
Profactum est, et habitauit in nobis. Quid deinde Iohan. x
& uidimus, inquit, gloriam eius, gloriam quasi uigenitam a patre, plenum gratiae & ueritatis. Qui eius glori se consors esse desideras, eius humilitatis prius te faciū ac partipem exhibeas oportet. Non est discipulus supra Phil. 2 magistrum, neq[ue] seruus domino suo maior, ut exaltari uellet sic dominus, & humiliari nolit sic seruus. Hunc autem omnium autorem, omnium saluandorum doctorem ac redemporem, Paulus Philippisibus in exemplum proponens ait: Hoc sentite in uobis, quod & in Christo Iesu, q[uod] cum in forma dei esset, non rapinam arbitratu[us] est esse aequali deo, sed semetipsum exanimauit, formam serui accipiens: in similiitudinem hominum factus, & habitu inuenitus ut homo humiliauit semetipsum, factus obediens usq[ue]ad mortem, mortem aucti crucis. Audiisti humilitatem, attinge gloriam. Propterquod, inquit, & deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomē: ut in nomine Iesu omne genu flectat, coelestium, terrenorum & inferorum, & omnis lingua confiteatur, quia d[omi]n[u]s Iesus Christus in gloria est dei patris. Neq[ue] humilius diuinitas inclinare se potuit, q[uod] ut hominem afflumeret, neq[ue] hominū potestati submitteret, ad flagella & morte per ludibriū sustinendam; neq[ue] sublimius attollit quia humanitas, q[uod] ut diuinitati unita, unus Christus & deus esset & homo, sedes ad dexteram patris, a spiritibus angelicis omniumque sanctorum cœtu uenerandus mortuos & uiuos iudicaturus in eadē humanitate, in qua

